et de ea re edicta per totam Italiam mitti a consulibus censuit senatus, teste Livio 39, 14 cf. Cic. de leg. 2, 15, 37. In hac tabula habemus tabellas (cf. v. 29) sive epistulam de ea re datas ad magistratus, ut videtur, vici alicuius agri Teurani (cf. v. 30), cum praemissa parte senatus consulti.

Senatus consultum de Tiburtibus.

19 L. Cornelius Cn. f. pr. sen. cons. a. d. III nonas Maias sub aede Kastorus. | Scr. adf. A. Manlius A. f., Sex. Iulius . . ., L. Postumius S. f. |

Quod Teiburtes v(erba) f(ecistis) quibusque de rebus vos purgavistis, ea senatus | animum advortit ita utei aequom fuit — nosque ea ita audi-
5 veramus | ut vos deixsistis vobeis nontiata esse —: ea nos animum nostrum | non indoucebamus ita facta esse, propterea quod scibamus, | ea vos merito nostro facere non potuisse, neque vos dignos esse | quei ea faceretis, neque id vobeis neque rei poplicae vostrae | oitile esse facere; et postquam vostra verba senatus audivit, | tanto magis animum nostrum indoucimus
10 (ita utei ante | arbitrabamur), de eieis rebus af vobeis peccatum non esse. | Quonque de eieis rebus senatuei purgati estis, credimus, vosque | animum vostrum indoucere oportet, item vos populo | Romano purgatos fore.

Tibure rep. tabula ahenea, nunc latet (I 107. XIV 3584). Videtur esse saeculi u. c. sexti exeuntis; L. Cornelius Cn. f. praetor fortasse is qui consul fuit a. 598 (cf. XIV l. c.). Hic quoque non habemus integrum senatusconsultum, sed principium cum responso dato Tiburtinis. Tiburtinos eo tempore Romanis suspectos fuisse et apud senatum legatione missa se purgavisse, alibi non traditur.

Tituli Mummiani.

20 L. Mummi L. f. cos.
Duct. | auspicio imperioque | eius Achaia capt.,
Corinto | deleto Romam redieit | triumphans.
Ob hasce | res bene gestas quod | in bello voverat, |
hanc aedem et signu | Herculis Victoris |
imperator dedicat.

Romae, tabula lapidis Tiburtini rep. in monte Caelio anno 1786, nunc in museo Vaticano (I 541. VI 331; Ritschl tab. LI). — L. Mummius cos. fuit a. 608, triumphavit a. 609. — Versus, quos Saturnios esse perspexit Marinius, ordinaverunt Ritschelius opusc. 4, 84 et paullo aliter Buecheler ind. schol. Bonn. 1876 aest. p. 5 n. 2. — Huius similes tabulas a triumphatoribus in aedibus sacris fixas memorant Atilius Fortunatianus (ap. Keil Gramm. Lat. 6 p. 293) et Liv. 40, 52. 41, 28. — De aede sive aedicula Herculis a Mummio dedicata cf. Jordan Herm. vol. 14 p. 572.

---

21 . . . cos. Achaea capta.

In agro Curium Sabinorum (IX 4966 ad fidem unius auctoris saec. XVI).

---

archive.org